



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos
instructa**

Busaeus, Johannes

Moguntiae, 1608

Familiaritas nimia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)

differentiis multis quadam præminentia probatissima religionis illustrat, &c. Ipse procul dubio amicus Dei est, canonice institutionis serenissimus amulator, sua carnis crudelissimus aduersarius, &c. Memoriam eius posui tanquam signaculum super cor meum, cuius humilitatem, maturitatem, prudentiam, constantiam, & ut includam multa paucis, incomparabilem honestatem in interioribus meis iugi recordatione circumfero quantumcunque permittit conuersatio secularis ad exemplar illius quasi ad fragilli spiritalis imaginem me consigno.

VIDE V. Consuetudo praua. Familiaritas nimia. Lingua abusus. Societas praua.



F

FAMILIARITAS NIMIA.

Remedia contra eandem.

PRIMUM Remedium. Considera familiaritatem nimiam inter ea vitia numerari, quæ speciem quandam virtutum mentiuntur, & idcirco non facile eam à virtute caritatis, vel amicitia posse discerni. De quo genere vitiorum sic scripsit aduersus Pelagianos **HIERONYMVS**. *Vicina sunt vitia virtutibus, ut si paululum declinaueris, aut errandum tibi sit, aut in præceps cadendum. Quantum inter se distant, pertinacia & perseverantia, parsimonia & frugalitas, liberalitas & profusio, prudentia & calliditas, fortitudo & temeritas, cautela & timiditas, quorum alia ad bona, alia referuntur ad mala? Quæ causa forte est, ut nullus ex præfatis Patribus, extra **S. BASILIVM** in diiudicandis humanis affectibus verè lynceum, huius vitii meminisse videatur. Sed nec recentiores Scriptores, nisi paucis verbis, hunc morbum attigerunt.* Hier. lib. 3.

II. REMED. Considera sedulo omnia quæ à **BASILIO** de hoc morbo prodita sunt. Sic enim in sermone de institutione monachorum scribit. *In communi contubernio neuiquam patitur charitatis lex ali quas coiri seorsum, aut amicitias, aut sodalitates. Siquidem nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ, quæ in hanc magis, quàm in illam propendent partem plurimum incommodent communit omnium concordia. Quare æqualiter se diligere inter se omnes debent: idemq; ergo*

N *unger.*

Idem. 10.

Matth. 18. 6.

Prou. 14. 12.
Gal. 3. 3.

BASIL.

S. Iustinian.
cap. 12.

Unuersum si atrum cœtum charitatis tenendus est modus. Quod si quis inuentus fuerit qui maiore quadam animi propensione monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis quauis de causa videatur diligere, hunc castigare oportet ut iniuriam publicæ charitati. Siquidem in eo quod quis aliquem plus diligit, facile indicat reliquos se in amore inferiores habere. Rursum in Constitut. monasticis. Caritatem quidem mutuum habere inter se fratres debent, non ita tamen, ut duo tresue seorsum à cæteris sodalitate inter se cocant, quando quidem hoc non caritas est, sed seditio & diuisio, & eorum qui sic cocunt improbitatis indicium. Si enim communis disciplina decus carum haberent, qui tales sunt, sine dubio communem, & equalem que erga omnes caritatem tenerent. Si verò ipsi à reliquis sua sponte disjuncti in cœtu cœtum efficiant, vitiosa huiusmodi amicitia conciliatio est, & diuersam quandam à communibus institutis rem esse oportet, que hos inter ipsos conciliet: at que hoc profecto nihil est aliud, quam contra veterem disciplinam stabilitatem inuolutio. Et paulo post. Quod si firmatam quis iam veritate disciplinam labefactare in animo habeat, ac alios etiam de fratribus secum comites trahat, hic primo quidem ab eo qui sanus sit secreto admoneri tanquam parum sanus debet. Sin secreto curari noluerit, adhibendi erunt etiam fratres aliis intelligentiores, ut est in sacro Euangelio, &c.

III. REMED. Considera, in quanta pericula hæc familiaritas, licet initia habeat Spiritualia, sæpè hominem coniciat. ut verè dici possit de eo illud Sapientis. Est via que videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem. Et illud Apostoli. Sic stulti estis, ut cum Spiritu ceperitis carnem consumemini? De hoc periculo non tacuit BASILIVS: nam in sermone de abdicatione rerum. Iuuenis, inquit, siue ætate, siue animo fueris, & equalium tuorum consuetudinem defugito: ab illis que te non secus, at que ab ardentissima flamma procul abducito: quando quidem illorum opera vsus aduersarius plerosque olim incendio dedit, & sempiterno igni cremandos addidit, ac spiritualis videlicet primo caritatis vana quadam specie illectos in terribilissimam postea Pentapolitarum voraginem precipites deturbauit. & B. LAURENTIVS Iustinianus in libro de disciplina & perfectione monasticæ conuersationis. O quot sub specie caritatis seducuntur, & seducunt? O quanti simulata pereunt dilectione? Heu quam multi in principio purè & sine deceptione conuersantes. ex nimia familiaritate paulatim infeltes in immane precipitium dilapsi sunt: eo miserabilius, quo fœdus? Sub vere caritatis namque prætextu in tales subintrat amor sensualitatis, &c. Sicut amat vnus singulariter, ita & amari vult, at que cæco seductus errore ignorat se vesano amore percussum. Passione namque victus ducitur inuitus & tyrannicè superatus ad opera carnis, quadam, ut sic dicam, necessitate abstractus & illectus, ac intentione quadam latenter palliata & polita seductus, ut suum valeat assequi appetitum, Patrum ordinationes frangit, monasterij institutiones non obseruat, &c. De verbis, de actibus mutuis, de cogitationibus obscenis tacendum est, que sub colore caritatis omnia ex inordinata paulatim familiaritate generantur. De talibus dicit Apostolus. Videte ne cū

Spi. i. 11

Spiritu carperitis, carne consumemini. Proinde interdicenda est assidua & priuata Gal. 3. conuersatio in Collegiis seruorum Christi. Solent quidam respondere, se ita per Dei gratiam esse in Spiritu fundatos, vt non pertimescendum sit lapsus periculum. Sed audiant illi quid in libro de singularitate Clericorum obii-
ciat CYPRIANVS. Nimum, inquit, praeceptum est, qui transire contendit, vbi Cyprian-
alium conspexit cecidisse, & vehementer infransis est, cui non incutitur timor alio per-
eunte. Et paulo post. Vtilius est, vt infirmum se homo cognoscat, vt fortis exi-
stat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re praesumptores obiur-
gat Apostolus dicens. Si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum implanat. Gal. 6. s.
Ille autem tuitus sibi consulit, qui circa malos semper infidus species quascuq; nouo-
xias extimescit.

IV. REMED. Esto nullum impendeat tale periculum, tamen caue-
ri non potest. quin nimia familiaritas occasionem det multis obloquiis,
suspicionibus, scandalis, odiis & auersionibus, vt obseruauit idem BA-
SILIVS agens de institutione monachorum. Quoniam aequali, inquit, inter Bas. serm. 2.
se vicissim caritate complecti omnes debent, iustitia violatur, quoties in communi con-
uentu priuata aliqua conuersiones reperiuntur. Qui enim vnum magis quam ceteros di-
ligit, is quod non perfectè ceteros diligat de seipso indicio est. Quocirca ex conuentu re-
iiciendus est amor iste singularis, ex quo suspensiones, inuidia que oriuntur. Vbiq; enim
aequalitatis defraudatio inuidia, odiiq; materia existit. Quare etiam praeceptum à Do. Matth. 5. 43.
mino nobis est, vt imitemur bonitatem illius, qui solem suum oriri facit super bonos
& malos. Et B. IUSTIN. loco citato. Interdicenda est priuata conuersatio in Col-
legiis seruorum Christi: quae quanquam in nullo alio reprehensibilis sit, sine proximo-
rum tamen scandalo fieri nequit. Et infra. Nam solent in conuersationibus familia-
ribus, nimium quae assiduis, nisi caute agantur, intermisceri vaniloquia, scurrilitates,
detractationes & effrenati risus, per quae mens distrahitur, compunctio dissoluitur, gra-
tia subtrahitur, proximus male edificatur. Quonia verò aliquis excipere pos-
set, sibi cura non esse, quid alii suspicentur, modo salua maneat conscien-
tia; saltem curet ne aliis sit scandalo. Va homini, inquit Christus, per quem
scandalum venit. Praeuidentes bona, ait Apostolus, non tantum coram Deo, sed etiam
coram hominibus. Et. Non quae sua sunt singuli considerantes sed quae aliorum. Et. E-
stote sine offensione Iudaeis & Graecis & Ecclesiae Dei, sicut & ego per omnia omnibus
placeo. Sic exceptionem repellit B. CYPRIAN. libro nuper allegato, &
addit. Non inuenibus tantum, sed & senibus congruit fratrum imbecillitati consu-
lere, ne senectus perire prouocet iuuentutem, ex qua debent omnia salutaria documenta
procedere, sicut Eleazarus in libro Machabaorū profitetur & dicit. Praemitti malo in 2. Mach. 6. 23.
infernum, quā patrias leges deserere, non enim aetatem nostram dignum est fingere, vt
multi adolescentiū arbitrati Eleazarū nonaginta annorum transisse ad vitam alienige-
narum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum, & corruptibili-
le tempus vitae per me seducantur, & odium ac maculam senectuti meae acquiram.

N 2 Deinde

Deinde non modo homini pio curæ esse debet vt salua sit conscientia, sed etiam vt fama, quemadmodum fuit Eleazaro. Quocirca hic addidit Cyprianus. *Suspiciosus tamen malam porrigit famam, et pudicitia bonum frustra intrinsecus laborioso agone custodit, quod forinsecus efficit infamari destruens magistrum Pauli providentis pariter et monentis. Vt quid, inquit, libertas mea iudicatur ab infideli conscientia?*

1. Cor. 16. 19.

V. R E M E D. Simulatq; ergo deprehendes ex familiaritate tua oriri suspiciones, offencicula, & obtreccationes in animis quorundam, illico inchoatam familiaritatem dissue, vel etiam rumpe, exemplo eorum de quibus scribit CLIMACVS agens de discretione. *Vidi, inquit, iuvenes se invicem castissimo amore, ac secundum Deum diligentes, qui tamen dum aliorum conscientiam inde laedi conspicerent, conueniunt inter eos, vt se ab invicem ad tempus elongarent. Neq; ille discessus imminuit mutuam eorum dilectionem, sed potius auxit, quia maculam, qua obfuscari coeperat, sustulit. Hi pro certo, inquit B. CYPRIANVS agens de coniugibus post votum perpetuæ castitatis segregatis, sese inseparabiliter diligunt, qui vt triumphos sibi inferant, à seipsis discedunt. Imò consultum est eandem familiaritatem, antequam orientur eiusmodi suspiciones, vel scandala, præscindere, vt prudens magister. S. ELIZABETH regis Hungariæ filiæ, & Lantgravi Thuringiæ coniugis quorundam fecit. Nā in vita eius Iacobus Montanus ita scribit. Cernens prudens magister eius Conradus toto illam nisu per pietatis opera ad celsitudinē sanctæ perfectionis contendere, curandum magnopere putavit, ne quid huic intentioni, vel abesset vtile, vel adesset inutile. Proinde expendens quanto sit impedimento spiritali vitæ priuata erga familiares et amicos affectio duas illi comites Isinrudem et Gutam, quarum præter ceteras singulari tenebatur amore, quamprimum ademit. Testes sunt lacrymæ vtriusque profuse, quid et caritatis habuerint iuncta, et doloris senserint separata, et c. Ergo gemina familiaritatis destituta solatio, et quidem gratissimo, velut aggeris obiectu præpediunt vndiq; flumen altius exerceat, discitq; supernè deponere, quicquid minus infra consequi permittebatur. Cum quo consentit rursus illud consilium B. Cypriani. Præoccupandus est aditus cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat impronitatis. Salutare remedium est præuenire potius, quam præueniri, et anticipare potius, quam anticipari viribus fortibus congruit. Vbi unq; fuerit providentia, frustrantur vniuersa contraria. Vbi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. Et illud Hieronymi ad Nepotianum. Caueto omnes suspiciones, et quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuota.*

Cypr. de singulari cleric.

Apud Sur. Nou. 19. c. 21.

Ibid.

Bon. processu 6. c. 16.

VI. R E M E D. Considera quæ sint nimie familiaritatis indicia, hoc est, quibus notis cognoscatur familiaritatem spirituales transisse in carnalem vel sensualem, vt tanto citius caueri queat. B. BONAVENTURA in Tractatu de processu religionis assignat septem. Primū est, si familiares crebra vsurpent colloquia de rebus vanis & futilibus de aliorum defectibus;

festibus; si profusi inter eos risus & obmurmurationes contra superiores. 2. si perueniant ad contactum manuum, cæterarumque corporis partium, luctas, oscula, amplexus. 3. Si munuscula vtrique impertiant crebrius. De quo HIERONYMVS ad Nepotianum, de vita Clericorum.

Crebra, inquit, munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, ac de- Hier. ep. 2.
gustatos cibos blandasque & dulces litterulas, sanctus amor non habet. Mel meum, lu-
men meum, meum desiderium, omnes delicias & lepores, & risu dignas vrbantates, &
ceteras ineptias amatorum in comædiis erubescimus, in seculi hominibus detestamur,
quanto magis in monachis & clericis. 4. si ægrè à sese mutuo, & non sine lacry-

mis diuellantur: diuulsi autem ita nonnunquam ex absentis amici recordatione moereant, vt deuotioni suæ vacare non possint. 5. si molestè ferant alios venari suorum carorum amicitiam, & inuideant eam affectus. 6. Si in mutuis offensis grauius exacerbentur, & difficilius reconcilientur, dicentes. Nunquam hoc vel illud ab eo expectassem. 7. si suos lapsus grauiores, ipsi inter se non corrigant, & ad alios delatos, vel defendant, vel extenuent.

VII. REMED. Considera, quam infirma sint eorū præsidia, qui ad-
ducere non possunt, vt dictas familiaritates dissoluant. Alii enim obtendunt natura se procliuēs ad consuetudinem paucorum. Quibus iam o-
lim respōdit B. BASIL. locis supra citatis. *Qui, inquit, in rebus huiusmodi na-* Bas. ep. 2. mo-
turam sequitur, is planè declarat seipsum nondū ex toto à naturali defecisse affectu, sed nast. in 8. 1.
adhuc regi carnis imperio. Et rectè, nam natura etiā propendimus ad otium,
aliaq; multa vitia, & tamen nemo docet in iis obsequendum naturæ, vel
carni, sed pugnandum esse contra illam. Alii obtendunt intentionem,
scopumq; bonum, què sibi habeant propositum, in singulari illa fami-
liaritate, nempe vt piis colloquiis alios ad meliorem frugem perdu-
cant. Verum alii non ex intentione quam nō vident, sed ex externa con-
uersatione, quam vident colligunt, intentionem bonam esse non posse.
Alii excipiunt se nihil vnquam mali cum eiusmodi familiaribus vel age-
re vel egisse. At Apostolus hortatur nos vt ab omni specie trali abstine- 1. Tim. 5. 22.
amus. Magna autem species mali est in ea re, quæ tot gignit suspiciōes,
scandala, dissensionēs, obloquia. imò magnum verè malum est, quod
tollit boni nominis existimationem. *Melius enim est, teste Sapiente, nomen* Prou. 22. 1.
bonum quam diuitia multa. & Poeta. *Omnia si perdas, famam seruare memento.*

VIDE V. *Adulatio. Amor sui. Colloquia otiosa. Consuetudo praua. Curiositas. Detractio. Hypocrisis. Immodestia. Immortificatio passionum. Inconstantia. Indiscretio. Inobedientia. Iudicium proprium. Linguae abusus. Murmuratio. Tepiditas. Voluntas propria. Voluptas carnalis.*